


D. O. M.

THESES

ANATOMICO-CHIRURGICÆ.


RÆ cæteris bonis Sanitas; amissam idcircò cuilibet restituere sedulò conatur Chirurgia. Singulas microcosmi vias scalpello armata perlustrare amans, naturæ vestigia rimatur, tramites humorum callet; & œconomiæ animalis ministra, ut & solidorum, sic & fluidorum pravam diathesim emendare studet; exsuperantes minuit, retentos educit, effusos eliminat, aberrantes avertit, noxios exhaurit humores; nec quidquam omittit ut scopum attingat: medicamenta, ferrum, & ignis, in ipsius manu æquâ lance versantur. Illa nunc seorsim, tunc simul, modò adversùs peculiare, jam contra prævalidum adhibet pathema; quin etiam labem, quæ aliter deleri nequit, aggredi non dubitat: hanc allicit, viam ipsi parat, & prodeuntem foras expellit, quousque natura sublevetur: uno verbo, Cauterium seu Fonticulum admovet.

Cauterium, juxta vim nominis, idem sonat ac corpus urens. Non tamen eodem sensu semper accipitur. Nonnunquàm enim ignem, aut corpus igne candens vel fervescens, & Cauterium actuale; alibi medicamentum vim urentem exerens, & Cauterium potentiale; sæpè

ſœpiùs quamdam ulceris cutanei ſpeciem, arte promoti, & in cujus cavitatem immittitur corpus rotundum favens humorum effluxui, ſignificat, & Fonticulus, Fontanella, Cauterium audit.

CAUTERIUM ſub ultimo reſpectu jam jam conſiderabimus; porrò cauterium, prout fonticulus, promovetur mediantibus medicamentis, aut igne, aut inſtrumento ſecante. Variis in corporis humani partibus celebratur. Sed ubicumque reperiatur, cutis & textus cellularis ſedem ipſius conſtituunt; itaque cutem & textum folliculoſum paucis perpendere juvat, deindè varia cauteriorum media.

CUTIS eſt quædam membranæ ſpecies, craſſæ, compoſitæ, & totum corpus humanum involvenis. Pluribus præcipuis conſtat partibus. 1°. Exteriori, tenui, pellucidâ, ſquammis adinvicem appoſitis, & innumerâ foraminulorum copiâ pertuſis compoſitâ, quæ ob ſitum Epidermis, & ratione conſiſtentiæ Cuticula dicitur. 2°. Alterâ ſubjacente, mammillis nervoſam referentibus indolem conflatâ, & Mammillaris nuncupatur. 3°. Congerie vaſorum interſtitiola relinquentium, liquore mucoſo, facilè concreſcente, nec non papillis nerveis repleta; indè corpus Reticulare, ſimul & Mucoſum inſtituitur. 4°. Membranâ interiori, denſiori, fibris nerveis, tendineis, aponevroticis, intricatâ admodùm ſtructurâ donatis conſtante; pro Corio agnoſcitur.

TOTA illa communis membrana adhæret partibus quas involvit mediante ſubſtantiâ membranaceâ, tenui, celluloſâ, adipoſo liquore, plùs minùſve fluido, utplurimùm turgidâ, quæ ſubit interſtitia non ſolùm muſculorum, ſed & horumce fibrarum; & inſuper, quod maximè notandum, concomitatur membranas pectus & abdomen viſceraque in ipſis contenta veſtientes. Nervi, vaſa ſanguifera & lymphatica, haſce cellulas percurrunt, & illarum beneficio locum diviſionis expanſionisque paſsìm reperiunt. Tandem duce textu cellulari, ab interiori ad exteriorem corporis partem, cutem ſcilicet, perveniunt. Sicut in cute, ſic & in textu celluloſo pori demonſtrantur; illi tranſpirationi externæ, iſti verò tranſpirationi internæ favent (*a*). Hinc patet quanta ſit cutis cum partibus ſubjacentibus confœderatio, quam intimus inter illas conſenſus (*b*), tum ex parte vaſorum, nervorum, textûs cellularis, tum ex parte functionum, proindèque affectuum, ſive phyſiologicorum, ſive pathologicorum. Ne mireris ergo cauterium, ſedem obtinens in cute & textu cellulari, tam multa, ut ita dicam, patrare miracula, etiam in penitioribus corporis receſſibus.

CONNEXIO cutis cum partibus vicinis non eſt ſemper æqualis; modò ſtricta, nunc laxior. Subjacentes autem illæ partes ſunt membrana communis muſculorum, aponevroſes, tendines, fibræ car-

(*a*) Diſſertationes Phyſiolog. de perſpiratione viſcerum, auct. C. Aug. de Bergen. Francofur. ad Viad. an. 1738.

(*b*) Diſſert. de conſenſu partium Dan. Langhans. Gotting. 1749.

neæ, vaſa, nervi, glandulæ, ligamenta, perioſtium & oſſa. Ab harumce partium læſione inter cauterii celebrationem abſtinendum eſt, propter accidentia ſubſecutura; eligantur ergo puncta quæ tutiorem præbent anſam. Sed Natura, noſtra mala prævidens, locum cauterii aſſignaſſe videtur. Foſſulas, ſeu cavitates idoneas, hinc & indè in ſuperficie corporis inſculpſit, quæ in nuchâ, brachiis, femoribus, tibiis, primo intuitu ſeſe præbent. Cave tamen ne faciliori datâ occaſione fallaris. Medium cellulare & adipoſum non eumdem apud omnes offert parietem, etiam in punctis deſignatis. Partes idcircò vicinas & ſubjacentes in memoriam revoca, ut illas ab actione cauterii protegas, aut ſi forsàn affectæ fuerint, certiùs curare valeas.

Nuchæ nomine hîc intelligenda venit foſſula immediatè pone & infra caput poſita, inter primam & ſecundam colli vertebram. Adipis equidem copiam & craſſitiem non minores offert, ſed faſciolam tendineam ſubimpoſitam continet, id eſt ligamentum cervicale poſterius (a); quo ſublato, occurrit adipis & textûs membranacei collectio notanda, muſculos rectos majores & minores obtegens; quibus remotis, duæ ſuperiores ſeſe produnt vertebræ quibus adhærebant ligamentum & muſculi. Si brachium attollatur, ſive flexo, ſive extenſo cubito, cavitas facilè animadvertitur in parte ipſius externâ propè medium: ibi deſinit extremitas inferior & tendinea muſculi deltoïdis; mox oritur caput muſculi brachialis, & à lateribus tranſeunt biceps & anconæus externus: vena cephalica bicipitem & deltoïdem legens, ex uno latere, tendo muſculi deltoïdis, ex alterâ parte, protegi debent ab actione cauterii; quamobrem, latus alterum, ſeu poſterius, eligunt quidam practici, nec immeritò, pro cauterii ſede, licèt deligationis opus ægrotanti vix permittat. In parte internâ & inferiori femoris obſervatur cavitas, inter muſculos vaſtum internum & ſartorium; ſaphenæ internæ ramus major per medium cavitatis tranſit. In parte ſuperiori & internâ cruris, infra eminentiam ſeu caput tibiæ, foſſula conſpicitur per quam utplurimùm divaricatur ſaphena interna; ſupernè, à lateribus, & infrà, veniunt annotanda, expanſio aponevrotica extenſorum cruris, perioſtium, tibia, & membrana aponevrotica muſculo gaſtrocnemio ſuperimpoſita. Pone genu, inter duo capita gaſtrocnemii, altera deprehenditur cavitas, quam vena ſuralis prætergreditur; difficultas deligationis, & accidentia quæ pluriès ſubſequebantur, in cauſâ fuerunt cur locus ille relinqueretur.

Brachium, femur, & pars interna tibiæ frequentiùs eliguntur ad applicationem cauterii, propter ſitûs commodum, facilioremque ipſimet ægrotanti conciliatam deligationem.

Nucha haud infrequenter, morborum capitis curationis ergò, recipit cauterium; cui tamen ſœpè ſœpiùs ſetaceum ſubſtitutum fuiſſe, & adhuc ſubſtitui videtur, potiùsquam in aliis partibus; cujus

(a) *Winſl. Exp. An. Tr. des Os frais.* n°. 330.

quidem encheïresis ratio forsan repetenda, tum à metu læsionis partium subjacentium, quæ cavitatem ut par est altam vix sustinere possunt absque illarum detrimento, tum ab incommodo & difformitate deligationis, ad cauterium sustinendum, & corpus medium suppurationem promovens, requisitæ, inutilis verò respectu seracei emplastro agglutinante facilè continendi. Præter illas cauterii sedes, fontanella, seu pars superior calvariæ, & occiput, ab Antiquis frequentiùs cauterisabantur. Inguina & pedes, prout humorum effluxus haud rarò excipientia, cauteriis pariter aperiebantur, & aperta servabantur. Tandem Veteres efficaciorem medelam in cauterio agnoscentes, illud ferè ad omnes corporis partes, pro variâ sede morbi, admovebant, ossibus etiam aliquandò non parcentes (*a*). Nunc cognitis cauteriorum sedibus præcipuis, secunda pars propositi nostri venit adimplenda, scilicet mediorum expositio.

Inter medicamenta quæ vim cauterii exhibent, solida præ cæteris adhibentur ad institutionem cauterii, qualia sunt lapis infernalis, & varii lapides caustici, quorum formulæ pasśim in dispensatoriis occurrunt (*b*); inter alia primas tenent cauteria quæ dicuntur serica, vel holoserica (*c*).

Ignis ad cauteria promovenda suppeditari potest, ope luminis caustici (*d*), metalli candentis, auri, argenti, ferri, chalybis, cupri, plumbi usti, oleorum fervidorum, fungi, & variarum radicum vel ustarum, vel mediante moxâ (*e*); aut etiam clave quolibet, pulvere pyrio, prunisve accensis, parti applicatis (*f*). Sed ferrum candens cæteris substituitur, cum felici successu (*g*).

Methodus quæ celebrat cauterium instrumento secante, lanceolam, scalpellum, forfices, ad id, mittit in usum.

Quocumque medio utatur Chirurgus, æger parandus; venæsectio, alterantia, evacuantia, præcavendorum accidentium gratiâ, præmitti debent, pro re natâ. Apparatus deindè disponendus, & ægrotans in situm idoneum collocandus; pars pilis denudanda; tùm, si cauterium potentiale adhibeatur, emplastrum agglutinans, perforatum, circa locum caustici applicandi admoveatur, ne partes ipsius ultrà progrediantur. Jam lapidem imponere, gossipio, aut linteo

(*a*) *Histoire de la Médec. de Lecler part.* 1. *liv.* 3. *ch.* 28. *p.* 229. *& suiv.* & *Hist. de la Médec. de Freind. p.* 15. *& suiv. p.* 179. *& suiv.*

(*b*) Horum enumeratio. Vide in Diction. Medic. D. James. tom. 2. p. 202. & seq.

(*c*) *Oeuv. Chirurg. d'Amb. Paré, liv.* 26. *ch.* 32. *& Recueil des Piéces qui ont concouru pour le Prix de l'Académie Royale de Chirurg. an.* 1748.

(*d*) Act. erud. Lipf. an. 1693. Jun. p. 247. & seq.

(*e*) Heisteri Instit. Chir. p. 2. sect. 1. cap. 23. p. 452.

(*f*) Differt. de Clave Alysso. Au. R. J. Camerario & I. C. Schaff. Tubing. an. 1709.

(*g*) *Recueil des Piéces qui ont concouru pour le Prix de l'Acad.* R. *de Chirurg. an.* 1755.

carpto, involvere, deligationeque idoneâ continere (*a*). Cavendum ne diutiùs remaneat; itaque, intensitatem ipsius virtutis causticæ priùs agnoscere debet Chirurgus, & sedulò animadvertere quid egerit, post temporis intervallum præcognitum sufficiens ad crustæ efformationem. Eschara ritè perfecta scalpello cruciatìm incidi debet usque ad cutem vivam circumjacentem, ut faciliùs separetur; mox corpus medium immittendum, ad suppurationem promovendam; escharâ delapsâ, suppuratio fovenda, & carnes in debito statu continendæ. Pisum, aut globulus ex radice iridis florentinæ, vel gentianæ, confectus, competunt dilatationi., & suppurationi ulceris conservandæ. Folia hederæ arboreæ, vel unguenta suppurativa, puris excretionem accelerant. Globuli aurei, vel argentei, aut etiam plumbei, vel eburnei, possunt substitui piso & globulis supradictis, quandò satis ampla remanet cavitas ulceris, nec indiget dilatatione, aut quandò pars cauterisata validos motus agere cogitur: nam cum sit levis & polita globulorum horumce superficies, carnes non læduntur, & sanguinem non tam facilè emittunt. Tanquam inutile haberi non debet foramen in piso aut globulis fabrefactum; per illud enim trajicitur filum quo retinetur globulus, & impeditur ne locum mutet fonticulus hinc & indè gradiendo, sicut pluriès evenit.

Si cauterium actuale adhibeatur, partes ambientes priùs obtegantur, (*b*) cauterium applicetur, &, escharâ perfectâ, subitò removeatur; nunc, sicut in methodo præcedenti agere superest.

Ut instituatur cauterium ope instrumenti secantis, ideſt lanceolæ, aut scalpelli, quod anteponimus, cutis sursùm attollatur, & elata apprehendatur à Chirurgo, ex uno latere, & à ministro, ex altero; deindè pars media secetur. Statim in cavitatem immittatur corpus medium, & duobus vel tribus diebus apparatu idoneo contineatur. Reliqua pars encheïresis eadem *est ac post escharam delapsam*, in aliis methodis. Cæterùm, rarior aut frequentior esse debet deligatio cauteriorum, pro calore tempestatis, & puris effluxu, minoribus aut majoribus. Fasciæ antiquorum fascia vulgaris non malè substituitur.

SINGULAS è tribus cauterii speciebus modò enumeratas, pro variis casibus, admittendas censemus. Scilicet cauterium potentiale, quandò ferrum & ignem omninò respuit æger; actuale, quandò subita & valida requiritur actio, sive ad revellendos humores vitæ minitantes, sive ad systema nervosum potentiùs excitandum. Præter illos casus, instrumentum secans anteponimus. Ex ipsius actione minus periculi exurgit, & fonticulus celeriùs instituitur.

(*a*) Si foramen emplastri non sit majus lapide caustico, juvat priùs applicare gossipium infra emplastrum, ad circumferentiam aperturæ. Sic enim impeditur ne lapis cum calefacto & liquescente emplastro circùmcirca subrepat

(*b*) Sculteti Armamentar. Chirurg. Tab. 1. nec-non Append. Instrument. Chirurg. Tab. 1. Confer. de fonticulis inurendis.

CAUTERIUM quoties præſcribit ratio multiplicari poteſt. Sic Naturam (*a*) imitatur Ars, plurimas ſibi aperiendo vias ad humores foras expellendos. Cauterium, ſeu fonticulus, claudi poteſt, ſed nonniſi deficiente morbo (ſcilicet quandò jam à longo tempore fuit inſtitutum) & tunc pariter non niſi debitâ adhibitâ cautelâ. Humorum effluxus per vias naturales excitandus quantùm fieri poterit. Pluribus appoſitis fonticulis, omnes ſimul claudere nefas; ab uno ad alterum gradatim progrediendum, ut paulatim aſſueſcat œconomia animalis modicæ evacuationi, & tandem ipſius abſentiam omninò pati valeat.

CAUTERIA non ſemper quolibet accidente vacant, præſertim vitio interno prædominante. Œdema, inflammationes, hæmorragia major vel minor, abſceſſus, gangræna, convulſiones, &c. cauteriorum applicationem ſubſequi poſſunt (*b*). Undè ſi quædam ſuperveniant, illorum cauſa attentè conſiderari debet, ut debelletur, pro ipſius indole, interim mediis affectuum præſentium therapeuticis in uſum advocatis. Hæc autem accidentia faciliùs debellantur in extremitatibus ſuperioribus, quàm in inferioribus; quâ de cauſâ, in caſu labis prævalidæ, verbi gratiâ Scorbuti, tutiùs inſtituitur fonticulus in brachiis, quàm in pedibus.

CÆTERUM, à mente non diſcedat quanta ſit cauteriorum vis efficax (*c*) contra numeroſam morborum cohortem; tanquam media humanitati divinitùs conceſſa facilè ſpectabuntur.

(*a*) Miſcella. cur. Dec. 1. an. 2. 383. Fonticulorum naturalium exempla. lege.
(*b*) Fab. Hildan. ob. Chir. c. 4. ob. 72. c. 1. ob. 64. c. 4. ob 73.
(*c*) Conſul. Eximi. Frider. Hoffmanni Differt. de Veſicantium & Fonticulorum circumſpecto uſu. tom. 6. p. 67. Collect. Oper.

Has Theſes DEO JUVANTE, & Præſide M. STEPHANO-PETRO LELAUMIER, Artium & Chirurgiæ Magiſtro, *tueri conabitur* JOANNES-BAPTISTA DE CHEVERRY, *Meldenſis, in Almâ Univerſitate Pariſienſi Artium Liberalium Magiſter.* De maux

PARISIIS.

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

Die ~~*Sabbati 18*~~ Veneris 17a. *Octobris, à ſeſqui-ſecundâ poſt meridiem adſeptimam. anno R. S. H.* 1760.

PRO ACTU PUBLICO

ET MAGISTERII LAUREA.

Typis P. AL. LE PRIEUR, Collegii & Acad. Reg. Chirurg. Typographi 1760.